IN ADVENTU LUDOVICI ANCAJANI EPISCOPI SPOLETINI ORATIO AD SPOLETINOS ... IN...

Antonio Bellini, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO

SI quantum extitit gaudium, quo non hęc modo Civitas, ſed univerſa quoquè Spoletina Eccleſia, atque adeo omnes boni perfuſi ſunt; poſteaquam auditum eſt ſummam ad Te latæ hujus in primis florentiſque Diœceſis gubernationem, ſapientiſſimo Clementis XII. Decreto delatam eſſe, Ludovice Præſul ampliſſime; tanta mihi eſſet ubertas ingenij, facultaſque dicendi, vehementèr confiderem fore hodierno die, ut Oratione mea ſimul, & Te non mediocri voluptate perfunderem, & hos Nobiliſſimos Cives tuos multo majori, atquè inſigniori gaudio cumularem. Sed cum illud mecum ipſe reputo, conceptæ ex ea re lætitiæ

vim, & magnitudinem admirabilem planè fuiſſe, atque incredibilem: ſentiam autem quanta ſit tenuitas ingenij mei, & virium imbecillitas, magnopere commoveor, ac perturbor animo, nec fieri arbitror poſſe, ut in tanta omnium expectatione omnia mihi digna re, digna hoc animorum ardore, digna hoc conventu, & ſilentio, digna denique ſtudio meo ſuppetant. Verùm me recreat mirum in modum, ac reficit, cum tua, Illuſtriſſime Antiſtes, præſentia, conſpectuſque multò jucundiſſimus, tum veſtra, Spoletini, mirifica alacritas, & audiendi voluntas. Tu quidem, quamvis nihil dicam omninò, quod hujus aditum loci, tempus hoc, frequentiamque deceat: quæcumque tamen dicentur, quocumque dicentur modo, quæ tua eſt humanitas, benignitaſque ſingularis, æqui, bonique facies. Vos, ignoſcendum potiùs pro veſtra prudentia, quam ſuccenſendum putabitis mihi, quem, ut aliquem voce mea lætitiæ veſtræ cumulum afferam, plus etiam quam poſſum conari intelligitis. Atquè illud quidem nulla me ratione, & via melius effecturum confido, quam ſi lætitiæ hujus ipſius veſtræ cauſas mea Oratione complexus, jure, ac merito vos eum, qui divinitùs eſt huic Eccleſiæ Rector datus, libentiſſimis animis accipere, tantoque opere ipſius adventu, præſentiaque lætari docuero. Quocircà patieris me, opinor, Præſul Optime, ac Præſtantiſſime, hoc temporis, quod mihi ad dicendum datur, in harum potiſſimum rerum tractatione conſumere, ac col-

locare. Et quoniam explicari alitèr hæ non poſſunt, quin de tuis clariſſimis laudibus, nonnulla dicantur, idque cum aliqua tua moleſtia fieri neceſſe eſt; propterea quod ut quiſque eſt laude digniſſimus, ita minimè libentè laudes ſuas audire conſuevit; dabis mihi, Pater mitiſſime, hanc etiam veniam, ut Orationem meam, quo ea tibi minus, quantum in me ſitum eſt moleſta, graviſque ſit, ad hos tui amantiſſimos Cives, ad quos præcipua hujus lætitiæ pars pertinet, a Perſona tua avocatam convertam. Vos magis conſuetudine, quam quod ita neceſſarium judicem, quæſo, atque obteſtor, ut me de rebus vobis maximè jucundis dicere aggredientem veſtrà in attentè audiendo benignitate proſequamini.

Ac primum quidem gratiſſimum, atquè optatiſſimum vobis accidere debet, Spoletini, quod non in externi Hominis, atque longinqui, ſed in Domeſtici, ac inter vos nati, & educati tutela, & præſidio, veſtra inpoſterum Sacra, Templa, Aræ, Cæremoniæ, Religioneſque futuræ ſunt. Quanquam enim dubitari non poteſt, quin æquiſſimum, atquè honeſtiſſimum ſit, quamcumque quis Eccleſiam gubernandam ſuſceperit, (quando hæ ſunt præcipuæ divini ejus muneris partes) eandem ut ille tanquam eximiè animo caram Sponſam: filios verò ejus, quemadmodum Paſtor oviculas, ſingulari quodam, & inflammato ſtudio complectatur, in eamque rem tacitos quoſdam ſtimulos, occultaſque faces ipſum Deum admovere credendum eſt: tamen longe alia illa eſt animi alacritas; cum

Epiſcopus eum, quicumque ſibi Populus igno-tus licet, & exterus divinitus concreditus eſt, libentèr accipit: alia, cum quem ſemper ipſe dilexerat, & carum habuerat, eum, cœleſti quoque interpoſita autoritate, & judicio, commiſſum ſibi, & commendatum videt.

Jam verò qui eſſet Ludovici in omnes vos amor; prius quam veſter Pontifex crearetur, vel ex eo licet intelligatis, quod veſter natus eſt Civis. Neque enim mediocribus quibuſdam vinculis Hominum inter ſeſe animos adſtringit, atque ab ipſo ætatis initio ſenſim, leniterque conciliat Patria communis. In hac conjuncta nobis cura de re publica, & de privata eſt, in hac fori, in hac legum, viarum, templorum, conſuetudinum præterea, & affinitatum, multarumque cum multis contractarum rerum, rationumque communitas. Quæ quantam obtineant vim ad mutuum amorem, benevolentiamque in Hominum animis excitandam, nemo non novit. Et quanquam Is Domo abfuit magnam partem ætatis: tamen nec abfuit longiſſimè, & illa, quæ omnes omnium dicitur vincere charitates, noſtris animis inſita, atquè innata in Patriam charitas abſenti perpetuò adhærens, humaniſſimi Viri animum hortatu ſuo illo blandiſſimo, ac ſuaviſſimo conciliare vobis in omni vita certè non deſtitit. Cujus quidem rei ſi tanta vis eſt, tanta natura, ut ſua quemque, qualiſcumque demum ea ſit, vehementèr delectet, quod ſummus Poeta Uliſſis exemplo declaravit ſapientiſſimi Viri, qui Ithacam illam

ſuam

ſuam in aſperrimis ſaxis tamquam nidulum affixam ipſi immortalitati antepoſuit: quo amore tandem inflammatus ille eſſe debuit in ejuſmodi Patriam, quæ nobiliſſima Umbriæ Urbs ſemper eſt habita?

Neque enim eam vobis, Spoletini, ortus conditionem ſuperi dederunt, ut in Urbe ea naſceremini, quæ ſi non veſtra Patria eſſet, minus in pretio vobis, atque in honore eſſe debuiſſet. Quid enim? non ne Urbs hæc illa eſt, in quam, ſi ſpectes antiquitatem, deductam eſſe Romanam Coloniam anno poſt Romam conditam quingenteſimo duodecimo, vetera monumenta teſtantur? Quæ, ſi gloriam, virtutiſque præſtantiam reſpicias, anno Urbis quingenteſimo trigeſimo ſexto Annibalem illum Carthaginenſium Imperatorem poſt deletum ad Lacum Traſimenum Romanum Exercitum per Umbriam recto itinere ad obſidendam Romam venientem admirabili fortitudine repulit? Quid conſequentibus deinde temporibus? Non ne Theodoricum Gotorum Regem Spoletium omni ſtudio complexum fuiſſe, ac magnificentiſſimis ædibus adornaſſe compertum eſt? Quod tantum valuit in omne tempus, ut nec injurijs Gotorum, qui poſt Theodoricum Regem ipſum oppreſſerunt, nec Friderici Barbaroſcij ſævitia prorſus deleri potuerit; ſed inſigni Sanctitate Divi Sabini Epiſcopi conſervatum, ab Alboino receptum, & Umbria in formam Ducatus redacta, Duce Faraoldo impoſito, caput Ducatus factum vires receperit, ac quotidie magis floruerit. Hanc igitur Urbem tam

Digitized by Google

antiquam, tam nobilem, tam illuſtrem; ut externis quoque, & alienigenis magnifacienda eſſe videatur, Patriam ſuam Ludovicus non amaverit in omni vita? non caram habuerit? non è ſinu, gremioque parentis ſuaviſſimæ longo intervallo disjunctus, atque diſtractus, ejuſdem complexu nupèr magnoperè letatus ſit? Nunc jam puro illi caſtoque amori, quem ipſa muneris, quod eum Deus ſubſtinere voluit, ratio, ut initio dixi, illaque Præſulis, Paſtoris, Patris officia pleniſſima charitatis, & poſtulant, & inſpirant, adiungite hunc tantum, tam ingenitum, tam innatum, quo vos Cives ſuos ille, quo Patriam hanc, & communi naturæ lege, & ſua ipſius humanitate admonitus maximè diligit: profectò inauditam, atque incredibilem inflammatæ cujuſdam benevolentiæ, ſtudijque vim, & abundantiam, geminis his amoris duplicis Divini, & humani tanquam admotis facibus exardeſcere intelligeris: nihil ut Ludovico veſtri, veſtrorumque commodorum fieri, aut cogitari poſſit amantiùs. Et verò, quid illæ aliud declarant non crebris tantum uſurpatæ ſermonibus; ſed publicis quoque literis conſignatæ voces digniſſimæ, quæ perpetuis quibuſdam, eximijſque notis omnium veſtrum pectoribus inſcribantur ,, *Contendimus venire ad*
,, *vos, Fratres, ac Filij cariſſimi, amor noſter, cu-*
,, *ra noſtra, gaudium noſtrum, ſolatiumque, quibus*
,, *prodeſſe cupimus vehementèr.... Expectate Patrem*
,, *Filioli in dilectione*. O fælicem, o iterum, ac tertio fælicem horum Filiorum ſortem! Si qui-

dem

dem eos ſibi cariſſimos amantiſſimus Pater, ut conſoletur dolentes, fulciat labantes, nutantes conſtabiliat, lapſos erigat, ſtantes firmet, ne metuant caſum, firmatos ornet, ac protegat: quid non faciet? quid non molietur? quam non in partem ſe, utilitatemque convertet? Hoc igitur vobis pulcherrimum, ac jucundiſſimum deputo, Spoletini, quod poſt bis centum ipſos ferè annos Civem veſtrum, hoc eſt, veſtræ, liberorumquè veſtrorum ſalutis, atquè incolumitatis cupidiſſimum, ſtudioſiſſimumque Epiſcopum nacti eſtis. Qui quoniam idem eſt omnibus cum naturæ tum fortunæ muneribus inſignitus, præditusque maximis, clariſſimiſque virtutibus, quarum poſſit fructum omnem in veſtrum commodum, utilitatemque conferre; immenſum quiddam eſt, quod ad veſtram, atque hujus Eccleſiæ univerſæ felicitatem accedat.

Atquè ut a generis Nobilitate potiſſimum exordiar, quod ipſum natura, ratioque præſcribit: quis veſtrum eſt adeò rerum ignarus, ac memoriæ veteris imperitus, qui Ancajanorum Gentem neſciat eſſe antiquiſſimam, Virorum virtute, gloria, rebus geſtis ampliſſimam? Ad vetuſtatem certè quod attinet non defuere olim, nec hodiè deſunt, qui putent, permulta eſſe argumenta, atque indicia, quæ oſtendant ab ipſa Ancarana, aut Ancaria, quæ Romæ priſcis temporibus floruit Ancajanæ Familiæ hujus Duci primordia. Sed ut omittam ea, quæ nimis antiqua videri poſſunt; ſeptingenteſimus ferè annus eſt, cum Antonius Ancajanus in Urbe Ve-

tere,

Digitized by Google

tere, quæ eſt Urbs Italiæ, & clara, & Nobilis, ampliſſimo Conſulatus honore perfunctus eſt. Nec ità multis poſt annis eundem obtinuit Ranierus. Num multas in Italia familias arbitramini tam antiqua poſſe Nobilitate cenſeri? Nam eorum quidem, qui ex hac Gente tum Belli, tum Domi præſtantes, ac planè ſingulares Viri perpetua quadam ſerie, ac propagatione fluxerunt, clariora ſunt nomina, quam ut ullum accipere lumen ab Oratione mea poſſint. Sed tamen in maximo illorum numero prætereri ſilentio non debent Gulielmus, & Theobaldus, quorum alter Urbis Veteris, alter Ferrariæ Ecclesiam anno ante ſexcenteſimo circitèr, & trigeſimo Sanctiſſimè adminiſtrarunt. Neque verò ommittendus eſt Placidus ille de Patria ſua optimè meritus, quem grati Cives publico funeris honore decoratum, Patriæ Patrem meritiſſimò appellarunt: Nec reticendus Jacobus Ancajanus is quem propter excellentem Virtutis præſtantiam, & generis claritatem, in ampliſſimum a ſe inſtitutum Ordinem Draconicum Sigiſmundus Imperator adſcripſit. Quod ſi de ſingulari, eximiaque Offreducci virtute differere vellem; quantus ſe mihi campus aperiret? O infenſæ Guelforum, Ghibellinorumque acies; quam acerbam, ac luctuoſam poſteris veſtris veſtri memoriam reliquiſtis! Nihil attinet renovare me illius calamitoſiſſimi, triſtiſſimique temporis recordationem. Neminem Veſtrum latet, quam ſtragem, quas calamitates, quam vaſtitatem duæ illæ partes notiſſimæ, legum, & judicio-

rum

rum autoritate contempta, & conculcata in univerſam Italiam intulerint. Cum igitur undique baccantium improborum voces, undique armorum ſonitus exaudiretur, ipſaque ſuorum in cæde, ac ſanguine miſerabilitèr nataret Italia: Vir fortiſſimus Offreduccius, qui magno eſſet, & ad omnem laudem a natura ipſa maximè erecto, ac confirmato animo aptiſſimum duxit illud tempus egregiam aliquam operam, ſtudiumque Pontificiæ Sedi, Patriæque navandi commemorabili pietatis exemplo, & omnibus ſæculis prædicando. Itaque non ullis periculis, non mortis metu deterritus id primum egit, ut Civibus ſuis perſuaderet, ut Guelforum partes ſequerentur. Quos cum unanimes vidit in Sancta belli ſocietate conflanda alacritèr conſpirantes conjuxit ſe ſuorum Dux invictiſſimus cum Illuſtriſſimis Urſinis, itaque forti, ac fideli opera rem totam illam geſſit, ut jure optimo, & tum Urſinorum Roſa Ancajanorum inſigni adjuncta ſit, & poſteà Ancajana Familia Urſinæ Domus affinitate refulſerit. O mira domeſticæ laudis inſignia, & omnium vocibus, ac literis prædicanda! Sed nihil æquè mea quidem ſententia aut ad rem glorioſum, aut ad memoriam illuſtre, quam quod gentem hanc totam admirabili pietatis, & Sánctitatis ſplendore, ac luce illuſtrarit Dorothea Beatiſſima. De qua quidem Fæmina neque hic locus eſt, ut multa dicantur, nec ita pauca dici poſſunt de admirabili ejus continentia, de moderatione, conſtantia, ſcientia colendi Dei, ac Religione;

præ-

præcipuè verò de inaudita, & planè incredibili in acerbiſſimis doloribus corporis patientia, ac tolerantia. Præterquamquod rapit jam, & quodammodo abſorbet Orationem meam Ludovici hujus præcellens virtus, ad quam veſtra me jamdudum vocat expectatio. Nam qui Ancajanos Heroas non tam ſingulos imitetur, quam unus exibeat univerſos, is eſt, quem præſentem intuemur, Vir præſtantiſſimus, qui perennem illam, & domi, foriſque conteſtatam majorum ſuorum gloriam apud oculos ſibi jam inde a pueritia proponens, eorumque ſe, ſanguinem, ac progeniem eſſe ſtudioſè cogitans, hoc unum aſſiduè egit, hoc laboravit, ut illis quàm digniſſimus eſſe reperiretur; neque ſolum acceptum ab eis gloriæ patrimonium ſervaret; ſed augeret etiam ſuis proprijs laudibus, & cumularet.

Quo quidem loco non faciam, Spoletini, ut earum omnium virtutum, quaſi cenſum inſtituam, quæ ſunt in hoc homine maximæ, ac præclariſſimæ: quod & infinitum propemodum eſſet, proptèr illarum multitudinem, nec eſt proptèr earundem ſplendorem, & famam neceſſarium. Sed tamen perficiam, ut dum nullam earum præcipuam commemoro, nullam videar prætermiſiſſe. Nihil igitur de puerili ejus inſtitutione honeſtiſſima, & hic apud ſuos, & in Romano Seminario, nihil de pietate procreatrice, & quaſi parente reliquarum omnium virtutum, nihil de ſuavitate morum, gravitate, conſtantia, moderatione dicam. Unum eſt, & breve, quod afferam; ſed hujuſmodi, ut ſi taceantur

omnia, unum poſſit eſſe pro omnibus. Ludovicus Ancajanus is eſt, qui in illa luce Romana, in illo Orbis terræ theatro, in illa arce regum, ac nationum omnium, illi hominum cætui, quos Signaturæ Suffragatores vocant, adſcriptus vixit tot annos, ut ordinem duceret, maxima omnium non tantum approbatione; ſed etiam commendatione. O Deus immortalis magnam, & commemorabilem laudem! Neminem veſtrum latet, Spoletini, quam arduum ſit, atque difficilè Romæ præſertim in tanto ſtudio partium, judicium ſuum in ferenda ſententia ita probare omnibus; nemo ut ſit, qui non illud ab omni cupiditate vacuum, & ad veritatis, juſtitiæque normam excogitatum eſſe fateatur. Quam ergo mentem, quam vim animi, quantam ſapientiam, quodque præcipuum eſt quantum æquitatis conſervandæ ſtudium, quam integram, incorruptamque fidem ineſſe arbitramur in eo homine, qui in ampliſſima Orbis terrarum curia, in tam multiplici cauſarum genere, tam diſcrepantia inter ſe judicia tam diuturno tempore ita fælicitèr ſubiit, ut a corruptæ fidei, judiciique non tantum crimine, ſed etiam ſuſpicione ſemper abfuerit? Id verò præſtitit Ludovicus. Perſpectum erat, exploratumque omnibus nihil ab eo privatæ utilitati, nihil amicitiæ, nihil gratiæ, nihil cujuſquam precibus: omnia autem veritati, & juſtitiæ tribui. Proinde conſulebatur ſæpiſſimè ab omnibus, non raró etiam a ſummis Pontificibus de rebus graviſſimis, quibus ille pro re, pro loco,

pro

pro tempore mira quadam ſapientia, & animi æquitate reſpondebat. Quas ob res ex tanto negotiorum uſu eam conſequtus videbatur prudentiam, ut in omnibus ferè, quæ gravioris eſſent deliberationis, ejus conſilium prò reſponſo, dictum prò oraculo putaretur, magnumque ſempèr illius ſententiæ apud omnes momentum haberent. Potuit ne Ludovicus Ancajanus magnificentius, cumulatius, explicatius a me quam Romæ univerſæ judicio, & ſummorum Pontificium autoritate, & teſtimonio laudari? Quæ virtus poteſt abeſſe ei, qui in oculis præſtantiſſimæ Civitatis, atquè in auribus ferè omnium gentium totos ipſos viginti, & eo amplius annos poſitus prudentiam, quam nihil fallere, juſtitiam, quam nihil inflectere poſſet communi omnium confeſſione prætetulit? Vobis igitur mirificè gratulor, Spoletini, quod maximæ omnium Urbis, & Sapientiſſimorum, reque ac nomine Sanctiſſimorum Virorum graviſſimis judiciis probatum, hoc eſt, omni virtutum genere præditum virum Pontificem, Paſtorem, Patrem habetis. Quo vos omnes Divinæ bonitati majores agere gratias convenit, quæ talem vobis gubernatorem dedit, qui, quemadmodum me dicente cognoviſtis, prætèr divinam charitatem illam, quam paterna Præſulis munera inſpirant, humanis etiam incitatus ſtimulis amore eſt erga vos ſingulari, atquè incredibili; omnibus præterea externis, propriiſque ornamentis maximè illuſtris: ut eo meliorem, & ad communem utilitatem accomodatiorem non dicam

repe-

reperire, ſed ne optare quidem, aut etiam cogitando informare potueritis.

Mihi vèro geſtit animus repetenti memoria primos illos occurſus veſtros ad Portam Romanam, cum peregrè venientem alacres excepiſtis. Mænia equidem ipſa Urbis, & tecta exultaſſe, quodammodo arbitror illo horæ momento, Patriæque felicitatem intra ſe receptam ſenſiſſe. O fortunatiſſimam Mulierem Chatharinam, ſummoque in ſupremo tempore ætatis gaudio cumulatam! Quid animi fuiſſe putatis lectiſſimæ, illi probatiſſimæque fæminæ, cum primum cariſſimum, atque amantiſſimum filium ampliſſimo præditum Sacerdotio lacrimans præ letitia complexa eſt? Credo ego illo puncto temporis non tam manus utriuſque, quam & Filij Dignitatem, & amorem Parentis ſeſe amantiſſimis contuentes oculis in mutuos amplexus veniſſe. O Germanos Fratres quoque beatiſſimos! Quis dubitet quin tantam ſinguli cæperint animo voluptatem, quantam poſſumus cogitare maximam? O Patriam ipſam denique feliciſſimam! Quis noſtrum unquam dum erit obliviſcetur præclarum illum diem, & cum plenum lætitiæ, & hilaritatis, tum etiam pietatis, & dignitatis; quo primum die tot jam ſignis, atque indiciis amoris tam brevi tempore editis, ac declaratis Præſul Optimus, Paterque Noſter Sacra gerens inſignia triunphali planè ritu, ſummaque omnium gratulatione Auguſtum Templum intravit? O Secundos, feſtoſque clamores! O fauſta vota! Quæ fuit illa geſtientium animorum lætitia? quæ

voces

voces? quæ concurſatio? quanta jucunditas! Equidem videbar tum mihi videre vetera illa in hac Urbe chriſtianæ virtutis columina Sabinos, Britios, Antimos, Saturninos, Meletios, cæteroſque clariſſimos heroas vehementèr lætantes apud ſuperos, quod in ea Sede, in qua ipſi olim admirabili vitæ integritate, & morum Sanctitate fulſerunt, ſui quam ſimillimum virum locatum cernerent. Qui quidem pro eo, quo ſunt erga Spoletinam Eccleſiam amore ſingulari digniſſimum certè Succeſſorem ſuum occultis dies, noctesque ſtimulis impellent ipſi quoque, atque incitabunt, ut omnia ſtudia, omnes conatus, omnem induſtriam, operam, laborem, diligentiam conferat ad hunc cætum, gregemque univerſum non tuendum, modo, ac conſervandum, ſed amplificandum etiam in dies, ac cohoneſtandum. Age igitur, Pater Optime, & Amantiſſime, integris, atque incolumibus Eccleſiæ tuæ membris robur adde, & firmitudinem; affectis, & ægrotis ſalubrem adhibe medicinam; ut ea nulla, Te Præſide, nec hornamenta dignitatis, nec præſidia ſalutis deſideret. Nos quidem, quæ noſtræ ſunt partes, autoritati tuæ libentiſſimè obtemperaturos, omnemque tibi, quæ a filiis debetur, obedientiam præſtaturos in omnibus pollicemur. Dixi.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google